

rensis archiepiscopi, frater Paulus Tripolitanus, Andreas Asloensis, Gevehardus Brandenburgensis, Matheus Visensis, Bernardus Humanas, Symeon Balneoregensis, Guido Papyensis salutem in domino. Licet iste cuius munere venit ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter serviatur de habundantia pietatis sue merita supplicum excedens et vota bene servientibus multo maiora tribuat quam valeant promereri, desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum et quasi quibusdam allectivis muneribus indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum ad monasterium beati Iohannis baptiste prope Magdeburg structura nova laudabiliter sit incepta nec sine Christi fidelium elemosinis quia proprie sibi facultates non suppetunt valeat consummari, universitatem vestram rogamus monemus et exhortamur in domino, quatinus de bonis vobis a deo collatis et creditis pias elemosinas et grata karitatis subsidia largiter erogetis ad structuram supradicti monasterii, ut per hec et per alia bona que domino inspirante feceritis ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos etiam de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui ad eandem structuram manus adiutrices porrexerint sive idem monasterium in festo beati Iohannis baptiste, beati Pancratii martyris, cuius reliquie ibidem requiescunt, beate Marie Magdalene et beate Katerine virginis causa devotionis visitaverint aut in extremis laborantes aliquid de bonis suis ad fabricam dicti monasterii legaverint, singuli singulas quadragenas, dummodo hanc nostram indulgentiam predicti loci diocesanus ratam habuerit, misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium presentem litteram sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam.

Datum apud urbem veterem anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, pontificatus domini Martini pape quarti anno quarto, v Kalendas Maii.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 33.*

## Rom, 1284, Juni 18.

132.

*Von mehreren päpstlichen Cardinälen wird ein 40 tägiger Ablass denjenigen zugesichert, welche dem Kloster Berge zur Erhaltung seiner Gebäude etwas schenken oder legiren und die Kirche daselbst an dem Feste Iohannis des Täufers, Pancratii, Felix, Mariä Magdalenä und Katharinä besuchen.*

Vniversis sancte matris ecclesie filiis ad quos littere pervenerint presentes Petrus dei gratia Arborensis archiepiscopus, Bernardus Perusinus, Iohannes Stragolensis, Iacobus Castellanus, Tholomeus Sardanensis, Andreas Asloensis, Iohannes Avelinus, Thedericus Cerviensis, Aldebrandinus Sutrinus, Bernardus Humanas, Moricius Suanensis, Acursius Pesaurisensis, Romanus Aliphanus, Bernardus Castrensis et Guilelmus